

Appendix. — Europa Nro. 17.

Regnum Mortuorum.

Sermo Politicus de India Orientali.

12. Februarii 1808.

T e x t u s.

Basco de Gama reperit viam ad Indiam orientalem, ad Promontarium Bonae Spei praetervectus. Quantus vir!

Huet.

Detectio haec fortunata, quae A. 1497. evenit, et Portugallis in acceptis referenda est, totum commercii mutavit cursum, et spatio 50. Annorum Portugalli habebant divitias Indiae. Quid quid natura in hac patria utile, gratum, et rarum genuit, migravit in Europam; via inde a Tago ad Gangem usque patuit; Olissipo et Goa florebant, et Reges Siami, ac Portugalliae erant Amici; erant Foederati.

Hic dominatus disparuit. Ambitio et avaritia omni aetate erant efficacissima media mundum, et quid quid in eo utile, et bonum est, evertendi. Nunc sunt Aogli Domini hujus regionis, dominantur per potentiam suam navalem omnibus maribus, quae potentia etiam causa est, quod super hoc elemento adgressioni non pateant. Ast per Continentem? An via in Persiam tantis difficultatibus obnoxia? Observator Europeanus describit tres expeditiones per Continentem in Indiam orientalem; hunc ergo sequamur.

Regiones Orientis, dicit idem, esse patriam revolutionum. Illic ortae novae religiones, surrexerunt amplissima regna, quorum sequelae erant desolatio, et depopulatio; Alexander, qui non minus audax, quam ambitiosus, non minus providus, quam Cosmopoliticus erat, susceperat expeditionem ex *Samarkand* in Indiam Orientalem, ad quam eum opes *Indice* alliciebant, quae tamen effectu caruit, quia recte aestate illuc devenit, dum ob frequentissimas pluvias exundationes regionem tegunt.

Regiones inter *Persiam*, et *Indostaniam* hodie huc ignotae. *Persia* caret fluviis, bella intestina regionem hanc desolabant, et desunt viae pro interna communicatione. *Persiam* ab *Indostania* separat catena montium, qui ad interiora Asiae protenduntur, et per quos complures angusti passus ducuntur. Omnes tres Occupatores, qui ex *Persia* in *Indiam* penetrarunt, eandem propemodum secuti

sunt viam; utpote *Alexander*, *Tamerlan*, et *Nadir Schach*. In his montibus habitant populi feri, audaces, diffidentes, et bellicosi. Tum sequuntur bellicosissimae gentes totius Orientis *Afghanen*, *Seiks*, et *Maratten*, quae numerosissimos in campum producere possunt exercitus. *Seiks* gloriantur, se 40000 equitatus statuere posse; *Marattas* non sunt Anglorum amici, inter quos paucos adhuc ante annos multi gallici Officiales erant. Quoad pluvias natura regionis variat.

Alexander Magnus movit expeditionem suam ex regionibus maris Caspii, et Bactriam penetrans, transivit juga montium. Tempus erat pluviarum, et dum ad montes pervenisset, in quibus fluvii *Pentsabae* oriuntur, jam hi omnes alveos suos perruperunt. Ad *Taxilam*, hodie *Attak* traiecit Indum, qui juxta *Rennelum* in hocce unico loco placide decurrit, ut pons erigi possit. Media aestate transiit per *Hydaspim*, hodie *Behat*, dum tempestas pluviarum fuerat, insolita fatigia, et itineris molestiae exhausserant militum patientiam. Hinc iterum redire coactus, nec ultra ripam meridionalem *Hyphasis* penetravit, ubi septem superba altaria, totidem magnifica factorum suorum monumenta posuit.

Tamerlan, qui propius ad Indiam sedem habuit, et ideo naturam regionis magis indagare potuit, evitavit errores Alexandri, expeditionemque sicca anni tempestate suscepit, A. 1398 Penetravit ad *Gangem*, sed jam A. 1399 fuit iterum in *Samarcand*.

Nadir Schach penetravit in Indiam orientalem. A. 1738 occupavit *Dehli*, et anno sequenti, trucidatis multis Incolarum millibus. raptisque ingentibus thesauris, in Persiam rediit; qui in reditu suo sequebatur eandem, quam *Alexander* sumpserat, viam. Licet *Nadir Schach* illimitatam habuerit potestatem, magisque ingenii qualitatibus, ex experientia in bello praeditus fuerit, tamen magnam militum partem amisit, dum per fluvios *Pendschab*, et per montes Indiae transivit, cumque populis feris pugnandum habuit, qui regionem ab littoribus *Oxi* fluvii usque limites Persiae incolunt.

Quis ergo miretur, si nunc expeditio per Persiam in Indiam paretur? — Officiales Persici, qui missionem ad Legatum gallicum Constantinopoli habent, conscenderunt naves ad *Trebisondam*, et per mare nigrum tendunt Constantinopolim, Ipse Colonellus *Carr* tulit Londinum, Regem Persiae faedus cum Gallia pepigisse, atque Angliae bellum indixisse.

In novissimis litteris anglicanis legitur articulus *Moscovia* de 30. Novembris, qui dicit; Tractatus cum Persia optatum accepisse cursum. Opinio communis est, duplicem

contr
tione
jam c
ne A
versi
rumc
aliqu
Rupe
neale
sis es
aus r
Duc

tione
lam f
phan
habu
per C
gratu
ciae
rerun
cum
nocui
merci
ejus
suoru
pro A

sem j
Minis
ce, aj
Minis
mere
leque
nens,
perfr
tas a
spons
paci
et an
dum
et qu
tinent
dabili

63
contra ditiones Anglorum in India Orientali parari expeditionem, et in Astrachan exspectari gallicos Officiales, quos jam olim in Persia serviebant. Dum haec in Indiam parantur, ne Anglia putet, naves gallicas dormire, in mari quoque diversi fiunt motus; ipsae pagellae Londinenses vulgant, sparguntur, classem Rupefortensem, partem Brivatensis, et aliquas naves ex S. Malo cum copiis excurrisse. Classis Rupefortensis excurrit, 17. Januarii, et 23. observabatur 5 lineales versus Hiberniam, quas partem classis Rupefortensis esse, fama voluit; juxta alios classis haec cursum versus meridiem sumpsit, et putatur in Americam destinata; *Duckworth* et *Strachan* sequuntur eam.

Diarium Politicum.

Experientia plurium annorum jam notum est, Oppositionem in Parlamento contra Ministerium admodum frivolam fuisse. Semper declamant adversarii, et semper triumphant Ministri votorum pluralitate. Hunc eundem effectum habuit etiam Sessio Curiae Inferioris 21. Januarii. Perlecta per Cancellarium Regis oratione, peroravit *Hamilton*; gratulabatur Patriae suae de feliciori, quam aliae provinciae haberent, sorte. Bello; ajebat, debemus hunc beatum rerum statum. M. Britannia post bellum 15 annorum, quod cum formidabili hoste gerebat, adhuc lucrata est; ubique nocuit hosti, et ipsa ne minimum damnum passa; Commercium ejus floret, divitiae ejus adcreverunt, et coloniae ejus auctae. Potentia ejus navalis classes adversariorum suorum evertit. et bellum, quod aliis gentibus ruina tulit, pro Anglia fuit divitiarum, ac felicitatis ejus fons.

Ad haec conabatur Lord *Hamilton* expeditionem Hafniensem justificare. Ast *Milton* contra exprimens dolorem, quod Ministri Russiae intermeditationem non acceptaverint. De pace, ajebat, tunc primum disseremus, dum noverimus, quid Ministri pro ea assequenda egerint; stuporem tamen suppressere non possum, dum eos de florenti commercii nostri statu lequentes audio, ubi tamen nobis omnis praeclusus est continens, et nos nullum in eo Amicum habemus. Profecto multum perfricta frons requiritur ad talem assertionem, cujus falsitas adeo aperta est, ut nec refutari mereatur. Ego saltem sponsonem Ministrorum sperabam, eos saltem restitutionem pacis optare, ast totus Regis sermo plenus est belli spiritu, et annunciat nobis, ut nos ad bellum cum toto orbe gerendum paremus. Quindecim annis pugnavimus contra Galliam, et quis fructus laborum? Sola Svecia dempta, omnes continentis Potentias nos influxui Galliae subjecimus, et formidabili foederi praest vir, quo majorem adhuc Maudus non de-

dit, oportet ab omnibus laesivis expressionibus abstinere contra Potentiam, cum qua forte mox de pace agere cogemur.

Scheridan dixerat inter alia: Dicitur in Proclamatione: Daniam cum Gallia et Russia hostile pepigisse foedus. Russia ergo erat hostis capitalis, et tamen oppugnatur Hafnia, metropolis gentis auxiliaris, et trucidatur crudeliter populus! Cur non sumus adgressi Russiam, et non aveximus classem coronensem? aut quomodo evitavit vigilantiam classium nostrarum classis russica in mediterraneo? si relationes falsae sunt, injusta est adgressio Hafniae; si vero fundamentum hostilitatum est pax chronopolitana, tunc respondere debent Ministri, cur hostem capitalem adgressi non sint, Non ut hoc fecissent, sed implorarunt intermediationem capitalis hostis ad reconciliationem cum hoste auxiliari. De his respondeant Ministri directe. Laeserant hi dupliciter dignitatem nationalem, primum per eorum agendi modum, tum, quod de his Parlamento informationem dare renuant. Si periculum non erat, tunc natio non aliud lucrata est, quam aliqua ligna, et naves; Caro haec solvet natio. Anglia quidem occupavit corpus, sed animam Gallia. — Ast, dicitur, occupatio haec avertit invasionem Hiberniae. Superi! an non oportuisset ad avertendam hanc invasionem loco tantae iniquitatis potius pacem cum hac gente facere. Protegite Hiberniam, et non habebitis opus pro ea defendenda foederatorum vestrorum rapere classes.

Quod Tractatum pacis concernit, negari non posse, energiam Ministerii petitionibus populi saepius frangi, ast si bellum continuetur unice ideo, ut homines, qui caede hominum seturantur, divitiis camulentur, et in officiis maneat, tunc est obligatio cujusvis patriae civis, ut preces suas ad thronum deferat. Certo fonte mihi notum, Austriae intermediationem pro pace oblatam fuisse, sed praeplacuit bellum absque scopo. Prioribus temporibus adhuc tamen semper fuit aliquis belli praetextus; modo Jacobinismus, modo civilis Ordo, modo libertas Scaldis, modo defensio foederatorum, modo indemnitas pro praeterito, modo securitas pro futuro, qui posterior scopus per cessionem *Ceylon* et *Trinitatis* obtentus erat. Defensio foederatorum nostrorum hodie est praetextus vanus, et puto, Honoratum amicum (*Canning*) onere *nihilitalis* suae labescere, ac nonnullos amicorum suorum delegare posse, ut vestigia gubernii portugallici exquirant. — Quam nervosi sermones, et quis effectus? Parlamentum Regi, atque adeo etiam Ministris pro rebus bene gestis gratiarum actionem pluralitate votorum decidit, sic fuit, et erit semper, quod erat demonstrandum.

Com
Reg
Gen
Han

C
cipissa
L
nobilen
sertim

C
debet;
historia
hemica

L
C

fas et
erga ill
multum
Divin
regime
Mulier
illa in

L
coram
Comi
Ante 2
effigie
Libus
otissan
dite B